

Kem 1946 (1-13)

(10)

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
SISTENS  
CASVM CLINICVM  
**AFFECTVS CACHECTICI**  
CVM  
INFLAMMATIONE TVNICAЕ ADNATAЕ ET  
EXVLKERATIONE CORNEAE TRANS-  
PARENTIS OCVLORVM  
EX  
PLETHORA,  
QVAM  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
CONSENSV  
PRO GRADV DOCTORIS  
OBTINENDO  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIECIT  
**PETRVS PETERSEN**


---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM  
DIE XX. DECEMBER. MDCCXLVI

---

TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.





## HISTORIA MORBI.

## Membrum I.


 peccatisima quædam virgo, temperamenti phlegmatico-sangvinei, habitus corporis laxioris atque spongiæ, vitæ, motus experti, laudique victui indulgens, à teneris unguiculis quieto plerumque somno, prosperaque, nec ullo singulari morbo interrupta, gavisa fuit valetudine: Ast, cum vix annum ætatis decimum quartum superasset, absque prævia quadam causa manifesta, sub leviori etiam corporis motu, illico de insigni lasitudine, artuumque dolore contusivo conqueri cœpit. Incommodis hisce comites sese mox ad junxerunt palpitatio cordis & molesta atque velocior sub quovis motu, præprimis vero sub celeri gressu & acclivium ascensu, respiratio. Cœterum appetitus fuit vegetus atque optimus, somnus placidus, pulsus respectu temperamenti magnus & celer, color vultus floridus & vividus, nec in excretionibus viuum quoddam fuit deprehensum.

Membr. II. Hisce symptomatibus alia, & quidem molestiora, superveniebant, nimirum primo dolores  
 A 2

dolores tensivi & prementes, in abdomen circa ossis sacri & lumborum regionem præcipue atroces, primæ culinæ partes à flatibus expandebantur, & alvus officii sui obliuisci incipiebat. Deinde capitis dolor vehemens ægram torsit, cui interdum vertigo auriumque tinnitus accesserunt, arteriis temporum magno impetu pulsantibus. Nec silentio prætermittendum est, dolores capitis & abdominis ita alternasse, ut hi filerent, quando caput laborabat, illudque vicissim immune fuerit, quoties dolor loca imi ventris occupaverat.

Membr. III. Neque vero hæc incommoda diu adfuerunt sola, sed post quatuor hebbdomadum decursum longe gravius quoddam fuit insecutum. Agitaverat se nimirum virgo post cœnam solito fortius in conclavi, nimis forsan calefacto, quum statim confuetus capitis dolor cum aurium tinnitu & vertigine rediret atque per totam noctem protraheretur. Mane quidem imminutus erat dolor, ast ultraque palpebra valde tumens, inflammata atque adeo sanguine turgida visa fuit, ut sanguis ille exinde quasi prosilire videretur, nec oculos aperire posset ægrotans.

Membr. IV. Contra memorata symptomata pugnabat Medicus quidam vesicatoriis, pulveribus errhi-

errhinis, sacculis discutientibus & unguento quodam, quo palpebras illinire jussit.

Membr. V. Octo præterlapsæ fuerant sub usu horum remediorum hebdomades, ast tantum abest, ut auxilii quidquam attulerint, ut potius omnia in deterius fuerint conversa. Effluxit enim ex majori cuiusvis oculi angulo serum quoddam acre, genas arrodens; quo cum conveniebat materia pituitosa e naribus stillans, labri superioris cuticulam dílacerans. Interim palpebrarum tumor postea aliquantum decrescere cœpit, ut ægra oculos, hactenus clausos, aperire iterum posset.

Membr. VI. Reseratis palpebris, cornea utriusque oculi non amplius transparens, sed quodam quasi lanugine obducta, & conjunctiva tunica rubicunda & sanguine maxime turgida apparebat. Dexter oculus nullam amplius lucem, sinister autem parum, & quidem coruscos duntaxat ejus radios, sentiebat.

Membr. VII. Quo corneæ itaque minus transparenti pristina redderetur pelluciditas, Medicus supra dictus saccharum album, in pulvrem redatum, quotidie repetitis vicibus in oculos flatu immitti, ac simul remedia antea allegata (Membr. IV.) in usum vocari jussit.

Membr. VIII. Verum enim vero, licet septem pridem hebdomades præterlapsæ & omnia remedia ex Medici præscripto usurpata fuissent, virginis tamen conditio in deterius erat maxime mutata. Post motum enim langvorem, loco lassitudinis, nec minus palpitationem cordis, ventriculo vel cibis vel flatibus expanso, non solum deambulans, sed etiam sedens, præprimis vero cubans, sentiebat; respiratio evadebat difficilior: color faciei antea floridus & nitidus mutatus erat in pallidum & subflavum, pulsus magnus & celer in tardum & debilem, imo interdum magnum quasi & celerem, somnus antea placidus in turbulentum: excretio alvina pristino carebat successu & ordine; hinc saepe diarrhœa, saepius de alvo constipata ægrotans gerebat querimonias, perseverabant symptomata membra III. non ea tamen, qua antea, acerbitate, & seri pariter ex oculis & naribus stillicidium aliquantis per minuebatur.

Membr. IX. Rebus ita comparatis, post quam viginti dudum hebdomades post primum morbi accessum, & quindecim quoque post subito obortum palpebrarum tumorem effluxerant, ego, die 25. Aprilis 1740. per litteras consultus, sequentia commendavi, & quidem interne

I.) Ad

- 1.) Ad purgandas primas vias potionem ex manna, rhabarbaro, cremore tartari in aqua fl. acacie solutis paratam, & aliquot olei de centro Ital. guttulis remixtam.
- 2.) Mane infusum Theiforme ex fl. bellid. min., chamom. vulgar., hb. melissae, salv., veronic., sem. fæniculi & anisi, ad 6. vel 7. vascula (Tassen) cum quarta parte seri lactis dulcis, secundum methodum Frid. Hoffmanni parati, matutino tempore sensim in lecto hauriendum;
- 3.) Hora ante prandium 60-70. guttas Elixirii balsamico-visceralis ejusdem Auctoris cum viro dulci sumendas.
- 4.) Circa somni tempus pulverem ex lapidibus cancerorum citratis, antimonio diaphoretico, succino albo pptio, radice ari, acori vulg., arcano duplicato & nitro depurato cum aqua cerasorum nigrorum.
- 5.) Redeunte quovis die sexto, mane jejuno stomacho, octo pilulas balsamicas Hoffmannianæ pariter compositionis & salis Sedlicensis drachmas duas in juscule avenaceo, & post horæ decursum infusum theæ, cum sero lactis dulci mixtum.
- 6.) Pro potu ordinario decoctum ex ras. CC., rad. sarsaparill. cum aqua fontana & modica vini Galici parte paratum, concessò etiam inter epulas

epulas uno vel altero vitro (Spitzglasß) vini  
Galci recentioris.

- 7.) Ratione diætæ jussi abstinere omnibus cibis  
duris, acidis, concoctu difficultibus & flatulentis,  
iis vero uti, qui laudabilem chylum largiun-  
tur, facilique opera in ventriculo digeri solent.  
Præter hæc motum frequentem sudare consul-  
tum duxi, ac volui, ut coelo benigno saepius, sed le-  
niter, corpus ambulatione & vectura exerceret.  
Externe adhibebantur sequentia medicamina.  
 a) Fomentum ex fl. chamomill. Roman. & vulgar.  
rosar. rubr., sambuci, hb. salvie, euphras., sem.  
fœniculi, cuius vapor primo ad utrumque ocu-  
lum admittebatur. Deinde linteum quadrupli-  
catum, illo imprægnatum ac denuò expressum,  
utrique palpebræ per noctem adipicare, eidem-  
que linta majora sicca, ad frigus arcendum,  
ea tamen cum cautione, ne premi ullo modo  
posset oculi bulbus, superimponere jussi.  
 b) Porro sacculos parandos curavi, speciebus  
(lit. a) memoratis refertos, ac ferme siccios,  
aliquoties per diem imponendos.

Membr. X. Commendatis remediis per tres  
integras hebdomades adhibitis, munitatum mi-  
hi fuit, spem recuperandæ pristinæ valetudinis  
adful-

adfulgere ægrotæ. Multum enim de sua violentia jam remiserant symptomata. Iterum enim deambulare sine laßitudine valebat: Palpitationem cordis raro animadvertebat, respiratio erat facilis & libera, ciborum adpetentia, somnus, pulsus atque color cutis & faciei ad naturalem suam redierant integritatem, symptomata etiam, membro II. memorata, fuerunt imminuta, nisi quod dolor circa lumbos exacerbari videretur; alvus iterum officii sui memor erat, fluxus seri acris ex naribus atque oculis penitus cessaverat, & oculi, ejusdemque tunicæ adnatæ rubedo vix amplius conspici poterat.

Membr. XI. Felicem itaque intelligens remedium effectum, ut sedulo eorum usum continuaret, autor fui atque suasor, mutato aliquantum ordine adhibendi, ita ut quovis tertio die vesperi pulverem, quovis decimo vel duodecimo die pilulas sumeret, & topica, exceptis sacculis siccis, removeret. Præter hæc circa medium mensis Junii venæsectio nem in pede, & alternis diebus circa somni tempus pediluviorum usum commendavi. Quibus debite etiam observatis, circa finem Junii menstruus fluxus ex voto prorumpebat, & per aliquot dies continuans efficiebat, ut rubedo ex oculis penitus aufugeret, nec ullum superesset incommodum, nisi quod cornea tunica non omnino esset pellucida. Ab internorum

B interea

interea medicaminum usu nondum plane abstinen-  
dum esse judicans, mutato paulisper ordine, infusi  
theiformis usum quotidianum, elixirii ante prandiu-  
m alternis diebus, pilularum quovis decimo quarto  
die de industria commendavi.

Membr. XII. Nihil nunc curæ supererat, nisi  
ut cornea iterum lucis radiis recipiendis & trans-  
mittendis apta redderetur. Ea propter statim,  
quam rubedo adnatæ tunicæ aliquantum remisisset,  
(id quod octavo die post usum remediorum a me  
commendatorum accidit) bis de die, & deinde, ru-  
bore penitus disparsente, ter vel quater pulverem  
subtilissimam ex saccharo canto albo, myrrha electa,  
alumine usto, & ovorum putaminibus in lanuginosam  
illam corneæ partem flatu inspergendum & statim  
ab insufflatione cantho majori utriusque oculi colly-  
rium tepidum instillandum curavi, ex aqua rosarum,  
euphrasie, fœniculi, & paucis guttulis spiritus vini,  
trochiscis de rosis albis & saccharo canto albo con-  
cinnatum. Praeter hæc palpebrarum oras bis quo-  
tidie spiritu vini simplici, cuius una pars quinque  
aque tepide partibus mixta fuit, lavari præcepi.

Membr. XIII. Hac simplici methodo, observa-  
tisque optimæ dietæ regulis, effectum est, ut bone-  
stissima virgo intra duodecim hebdomades pristinæ  
sanitati

*sanitati perfecte fuerit restituta, nec ab illo tempore ullum in oculis unquam deprehenderit incommodum.*

## RESOLVTIO.

§. 1.

**P**rämissam morbi historiam respicientibus quinque potissimum phœnomenorum genera, uberiori utique consideratione dignissima, occurunt. Quorum primum membra primi, alterum membra secundi, tertium membra tertii, quartum membra sexti, & quintum denique membra octavi symptomata constituunt.

§. 2.

Singula vero hæcce phœnomenorum genera, licet in se sint maxime diversa, in nostro tamen casu singulari & arctissimo vinculo conjuncta videntur. Sic enim symptomata Membri I. plethoram, Membri II. congestiones, earumque effectus, Membri III. statum inflammatorium, Membri VI. partim statum ulcerosum, partim inflammatorium, Membri VIII. statum cachecticum designant. Symptomatibus Membri I. illa, quæ Membro II. III. & VIII. recensentur, & symptomatibus Membri II. illa, quæ Membro III. relata sunt, his vero, quæ Membro V. & VI. indicantur, originem debent, ita ut prima hujus morbi causa plethora judicata, & in dissertationis rubro princeps hujus affectus intricatissimi causa appellata fuerit. Quum vero in scholis medicis morbus appelletur complicatus, quando diversa symptomata,

B 2

mata,

mata, quorum quodvis peculiarem morbum constituit, conjunguntur, casum hunc ad complicatos morbos referre minus dubitavi.

## §. 3.

Quæ quo luculentius pateant, horum phœnomenorum indolem, causas & connexionem accuratissima consideratione persequar; ex quibus ea primum occurunt, quæ (Hist. morbi membr. I.) enumerata sunt, & statum plethoricum apertè significant, uti illud pluribus evictum dabo. Prius vero, quam ad hanc probationem me accingam, explicandum mihi erit, quid plethora nomine intelligam. Designo autem eodem talem statum corporis, quo illud plus sanguinis continet, quam à corde & vasis commodè posit capi & promoveri.

*Scholion.*

Hæcce plethora definitio est realis. Perspicuum enim exinde fit, cur sanguinis abundantia tollat æqualitatem, quæ sanguini intercedit cum partibus continentibus. Consistit autem in hac æqualitate libera sanguinis circulatio & sanitas (per princip. Physiolog.), adeoque patet, quod plethora sensu stricto ad morbos sit referenda.

## §. 4.

Plethora distingvitur in *plethoram ad vasā & ad vires.* Prior dicitur, quando vasā a sanguine valde extenduntur, posterior vero, quando vasā non adeo sunt repleta, majori tamen sanguinis quantitate abundant, quam commodè a corde & vasis possit promoveri.

## §. 5.

## §. 5.

Statum plethoricum corporis humani cognoscimus 1.) ex antecedentibus causis, quæ generationi copiosi & boni sanguinis inserviunt, uti sunt temperamentum sanguineum, ætas juvenilis & virilis, viscerum robur & sanitas, alimenta optima, vita otiosa, jucunda, curis vacua, aliaque, 2.) ex habitu corporis florido, venisque amplis & subtumidis, præcipue in facie & temporibus, 3.) evacuationibus naturalibus & præternaturalibus, vel plane se non prodentibus, vel imminutis, vel suppressis, 4.) lassitudine corporis spontanea, 5.) phlogosibus, 6.) & palpitatione cordis, spirandi angustia & vertigine, post corporis motum qualeincunque accendentibus. Quæ licet non omnia simul & coniunctim observerentur, pleraque tamen eorum adsint necesse est. Specialia signa plethorae ad vasa & ad vires §. 4. exhibet, quibus addas, plethoram ad vasa pulsum magnum & celerem, eam vero, quæ est ad vires, pulsum celerem & debilem comedem habere.

## §. 6.

Ex memoratis plethorae indiciis in nostro casu præsto sunt 1.) temperamentum phlegmatico-sanguineum, 2.) ætas juvenilis, 3.) viscerum robur & sanitas, 4.) vita sedentaria & lauta diæta 5.) habitus corporis floridus, 6.) post corporis motum lassitudo cum dolore contusivo, præsertim circa articulos 7.) cordis palpitatio, 8.) respiratio anhela, 9.) pulsus magnus & celer. Exinde igitur inferre licet, quod virgo illa, suppositis circumstantiis Hist. morbi membr. I., recte plethorica judicetur, &



quidem laboraverit plethora ad vasa. Id quod ut clarius  
pateat, evictum dabo, sanguine abundasse virginem, &  
deinde colorem faciei floridum, lassitudinem post cor-  
poris motum cum dolore contusivo, cordis palpitatio-  
nem, spirandi angustiam, atque pulsum celerem & ma-  
gnum inde resultasse.

## §. 7.

Probaturus itaque, virginem ægrotam plethora seu  
sangvinis abundantia laborasse, monendum duco, abun-  
dantem sangvinem in corpore generari, quando sangvinis  
minor quantitas consumitur, quam generatur. Multa  
sunt in historia morbi, quæ incrementum sangvinis con-  
sumtionem ejus longe superasse certissime arguunt. Ex  
his præ aliis eminent appetitus ciborum vegetus, & larga  
eupeptorum ingestio, nec non prospera valetudo, ante  
decimum quartum ætatis annum nullo morbo turbata.  
His positis, multum quotidie laudabilis chyli provenisse,  
& ex illo sangvinem abundantem fuisse generatum, quis  
est, qui in dubium vocare audeat? Quare cum idem ne-  
que evacuationibus naturalibus, neque artificialibus, ne-  
que præternaturalibus fuerit imminutus, nec largæ hu-  
morum excretiones observatæ fuerint, causa superflui  
sangvinis, omni luce clarior, apparet. Symbolum etiam  
suum contulit vita sedentaria, otiosa atque curis vacua:  
quæ quantum generando abundanti sanguini faveat, non  
opus est, ut pluribus demonstrem.

## §. 8.

Ordo nunc jubet, ea jam accuratius pertractare,  
quæ,

que, tanquam signa & effectus plethoræ, de causa sua luculentissime testantur. Primum ex illis sit color faciei floridus ad rubedinem inclinans. Color cutis sequitur tum vasorum cutis & præcipue corporis mucosi seu reticularis, tum fluidorum in illis se moventium rationem (per princ. physiolog.) Nam si vasa subtilissima cutis patula sunt, & sanguine turgida laudabili, color cutis, & faciei magis floridus & amoenus conspicitur: sin vero eadem nec debite adpareant, nec sanguine tumeant, nec humores optime sint constituti, sed tenaces, limosi, & sordibus excrementitiis mixti, color pallidus evadit, flavus & luridus. Jam vero compertum habemus, ægram bonæ notæ fluidis abundasse (§. 7.), eaque quotidie aucta fuisse, hinc certò certius est, colorem faciei floridum, accidente simul cutis teneritudine, à plethora duxisse originem.

## §. 9.

Lasitudo sub motu corporis nunc explicanda venit. Est autem lasitudo ille corporis status, quō præsente, ob defectum proportionatæ vis motricis, non satis quoque par est functionib⁹ suis obeundis. Quum enim robur vitale in libero & expedito solidorum & fluidorum motu consistat, ille autem æqualitatem seu proportionem inter solida & fluida requirat, (per princip. physiol.) virium defectum a debilitate motu solidorum & fluidorum & proportione sublata derivandum esse appetet. Jam vero propter abundantiam sanguinis in virgine ægrota (§. 7.) sublata est ista æqualitas, hinc defuit necessarium quoddam requisitum liberi motus solidi-

solidorum & fluidorum & exinde vis motrix corporis fuit imminuta: Quæ autem quum nimis imminuta haud sufficiens inveniatur functionibus corporis commode administrandis, lassitudo corporis sub levissimo motu sentiatur, necesse est. Socium vero habuit lassitudo illa dolorem contusivum circa articulos. Consistit vero dolor (per princip. patholog.) in aucta quadam tensione nervorum, nervosarum partium & tendinum. Tensione hæc a pressione vasorum adjacentium, sanguine nimis fastorum, suos ducit natales, & quoniam ad motum exinde minus aptæ redduntur dictæ partes, contusionis sensus simul percipitur. Premuntur autem nervi, dum sanguis, in vasis exilissimis nimis accumulatus, motu & circulo ejus ex quacunque causa redditio vegetiori, in latera vasorum vi agit, ea premit, distendit & nervos adjacentes comprimit. Hæc pressio itaque quum in punctis, ubi nervi non comprimuntur, tensionem quandam & dolorem producat, facile appareat, dolorem contusivum ex abundanti sanguinis copia fuisse generatum. Quod autem dolor iste circa articulos imprimis fuerit perceptus, ideo in primis factum fuisse credo, quia juxta vasa circa articulos multi tendines & partes nervosæ e.g. ligamenta & vaginæ tendinum locantur, ac plurimi etiam nervi ibi reperiuntur. Memoratae autem partes præ aliis omnibus ad movendum corpus primariam colloçant operam.

## §. 10.

Progredior jam ad explicandam cordis palpitationem sub motu spontaneo corporis: Palpitare cor dicitur

dicitur, quando systole ejus & diastole solitō celerius si-  
bi vicissim succedunt, & cor in systole in primis motu  
vehementi & quasi convulsivo agitatur. Dia stole natu-  
ralis excitatur (per principia physiolog.) influxu deter-  
minatae quantitatis sanguinis in ventriculos cordis; systole  
naturalis verò influxu determinatae quantitatis liquidi ner-  
vosi in nervos cardiacos. Quicquid vero efficit auctum  
influxum utriusque fluidi, auget quoque dilatationem &  
constrictionem cordis, & hanc posteriorem, si impetus  
justo major accedit, quasi convulsivam reddit. Jam ve-  
ro sub motu corporis spontaneo repetito, ope alternæ  
muscularum agitationis, sanguis ex vasis venosis musculo-  
rum celerius expellitur in venas majores, & ex his per ve-  
nam cavam in cor, adeoque hoc motu circulus sanguini-  
nis redditur vegetior, globuli sanguinis præterea magis  
atteruntur, hunc attritum sequitur major calor, hoc ca-  
lore partim aer, partim ipsa sanguinis moles expanditur,  
& majus affectans spatum, latera vasorum distendit, &  
ita motus dia stalticus augetur, solitoque celerior reddi-  
tur atque vehementior. Dum autem cor & omnia vasa  
a sanguine expanso nimis distenduntur, eodem modo e-  
tiam vasa cerebri & cerebelli diducantur necesse est. Ob  
hanc autem vasorum sanguiferorum in cerebro expan-  
sionem cerebrum premi, fluidum nerveum largius se-  
cerni & majori copia in nervos cardiacos influere, &  
hunc majorem fluidi nervi influxum celeriorem & qua-  
si convulsivam systolen concitare, quivis facile intelliget.  
Quid impedit itaque, quo minus palpitationem cordis,  
sub motu & post eum, exuperanti sanguinis copiæ tri-  
buamus?

C

§. II.

Nec mirum est, anxiam atque crebram spirationem sub motu a plethora fuisse procreatam. Quandocunque enim vasa pulmonum sanguifera ob superfluam sanguinis copiam nimium distenduntur atque dilatantur, ea-que vasorum expansio, praesente motu spontaneo corporis, mirum in modum augetur, (§. 10.) (dum universa humorum moles tunc majori impetu ad pulmones fertur), vasa sanguifera, bronchia & vesiculas pulmonales ambientia, & intimius cum illis connexa, premunt, spatium earum angustant, & impediunt, quominus aer, inspiratione receptus, eas legitime expandere valeat, sed vix ingressus iterum egredi cogatur.

## §. 12.

Superest adhuc, ut probemus, pulsum magnum atque celerem a plethora itidem fuisse productum. Intellegimus autem eo ipso arteriarum systolen atque diastolen majorem atque celeriorem, in nostro casu autem robustiorem, atque saepius iteratam constrictionei, subsequente semper dilatatione majori, quam personis sanguineo-phlegmatici temperamenti solennis esse solet. Dilatantur autem arteriae ad terminum usque ordinarium, quando, constrictis cordis ventriculis, iusta sanguinis quantitas celeritate, robori earum proportionata, in illas propellitur. Unde sequitur, vasa haec arteriosâ magis dilatari, si major humorum quantitas velocitate, qua solet, majori in eadem propulsatur. Abundantem autem sanguinis quantitatem systolen atque diastolen cordis & vasorum augere, atque motum sanguinis velocio-

velociorem reddere, §. 1. evictum dedi, hinc etiam pulsum magnum & celerem a plethora fuisse productum sati liquido constabit.

## §. 13.

Enucleato itaque membro Imo historiae morbi, pedem jam movebimus ad membrum illud, quo congestiones ex plethora ortae explicandæ veniunt. Congestionis autem voce nuncupo excedentem sanguinis collectionem in vasibus quibusdam ad cedendum aptis, ea ratione, ut circulatio in vasibus quidem perget, refluxus tamen parcior & minus proportionatus influxui existat.

*Scholion.*

Ne vero sit dubium de definitione suppeditata, notes velim, 1.) quod (per princ. physiolog.) sanguis ex uno vase in alterum proportionaliter provolvatur atque tamdiu, quam diu singula vasa instructa sunt vi sufficienti, 2.) quod illa impulsu sanguinis ultra determinatam expansionem non possint dilatari, sed, peracta dilatatione, ad pristinam redeant statum. Quod si vero naturalis quorundam vasorum tonus aliquantis per fuerit imminutus, aliorum autem vicinorum, & hisce connexorum illibatus maneat, vel plane augeatur, necessario sequitur, 1.) in vasibus prioribus majorem fieri dilatationem, indeque 2.) refluxum minorem, atque utramque ob causam humorum accumulationem, quæ partim vasibus & partibus vasorum continentibus, partim durationi seu temporis momento conformis maxime observatur.

## C 2

## §. 14.



## §. 14.

Vasa, quæ facillime accumulationem sanguinis admittunt, sunt 1.) venæ, ob tunicas tenues & tenerimam structuram & 2.) ob causas easdem ultimæ divisiones arteriarum. Quando vero hæc duo vasorum genera sunt collocata in ejusmodi partibus corporis, ubi vix ac ne vix quidem impediri potest fortior eorum expansio, facillime ibi resultat, præsente causa, collectio superflui sanguinis. Hujus conditionis sunt præcipue vasa membranæ pituitariæ, vasa bronchiorum pulmonalium, vasa ventriculi & intestinorum, vasa uteri & alia.

*Scholion.*

Quod uterus præ reliquis corporis visceribus sit aptus congectionibus, partim ex indole & structura vasorum illius patet, partim ex experientia, qua nemp̄ duce novimus, quod sanguis apud fœminas in hisce vasis omni menstruo spatio accumuletur. Luculentius autem illud stupenda sanguinis collectio in gravidis confirmat. Ejusmodi collectionem sanguinis in utero mulieris gravida & partui proximæ contemplandi occasio mihi fuit ante duodecim hos annos, quum Heide Dithmarorum comorarer. Non inutile fore, & a scopo alienum, duxi, si Historiam cum observatis quibusdam plenius communicarem. Repentina morte deceperat ibi fœmina, novem pridem menses grava; cuius in utero cum foetus post mortem matris valde sese mouere & jactare deprehendetur, demandatum mihi fuit a viris spectatissimis B. D. LVTHERO, Regie Celsitudinis gloriissima memoriae CAROLI FREDERICI Principis regnantis Slesvico-Holstianæ &c. &c. Archiatro, Consiliario Status & Professore Primario Medicina Kiloniensi, nec non DN. HARMSSEN ejusdem Serenissimi Principis Consiliario & Chirurgo primario, de vita conservanda foetus deliberantibus, ut uterum defunctæ inciderem & operationem sic dictam cæsaream



ream peragerem, quam etiam, præsentibus his laudatissimis Viris, aliisque mortuæ affinibus, vicinis & amicis, felicissime omniumque plausu perfeci. Sub operatione norati maxime dignum fuit yidere, uterum fere triplo crassiorum, quam esse solet in non imprægnatis, vasa autem ejusdem extensa & eorum tunicas stupenda exilitatis, ut vix satis mirari possem, qua ratione citra disruptionem tanto sanguinis flumini rehendo suffecerint. Quis igitur est, qui non extollat laudibus ineffabilem summi Numinis sapientiam, quod ita partes hasce formavit, ut tenuitas illarum nullum rupturæ metum concitare queat? Plura de his verba facere prohibet institutum, quare ad viam, unde digressi sumus, redeundum.

### §. 15.

Essentiam congestionum §. §. 13. & 14. adumbravi: Adsuisse autem in nostro quoque casu congestiones, testantur 1.) plethora, in antecedentibus satis demonstrata, 2.) dolores prementes & tensivi in abdomen, præsertim circa lumbos 3.) incrementum dolorum, crescente sanguinis illa accumulatione, 4.) nec non capitidis dolor cum pulsatione arteriarum temporalium. Quæ memorata symptomata, communi totius scholæ medicæ consensu, evidentissima congestionum signa reputantur.

### §. 16.

Ut autem vera indoles & genealogia intricati hujus morbi eò clarius pateat, congestiones hæ quomodo a plethora fuerint procreatæ, fusius explicatum dabo. Præsente sanguinis in corpore abundantia, cor, arterias, & reliqua omnia vasa valde dilatari, supra (§. 10.) asserui. Noto notius autem est, cor & omnia vasa constructa esse ex tunicis elasticis, quæ si tenduntur & diutius in hac

C 3 tensione

tensione permanent, eò magis dejiciuntur de suo tono & elatere, quò major vis tendens est, & quò majus temporis spatium, quò tensionem hanc experiuntur (per principia physico-pathologica). In nostro casu, ubi sanguis abundavit, vasa debilitari necesse fuit, & ex illis præsertim ea, quæ, robore aliis inferiora, ad fortiter resistendum minus apta existunt. Attentione omnino dignum est, sanguinis congesti indicia in inferiori ventre primo apparuisse. Qua in regione quum uterus & intestina sita sint, sanguinis copiosi motum præcipue ad uteri vasa fuisse directum, exinde eundem ad intestinorum vasa regurgitasse, nemo, œconomiae animalis motuumque vitalium gnarus, in dubium vocabit. Res enim est de pueris testissima, quod, decimo quarto ætatis anno exacto, protrudatur in illis superfluus sanguis in vasa uteri, & menstruо plerumque tempore excernatur (per princ. physiolog.): Quod si vero sanguini illi appulso exitus, vel ob angustiam vasorum, vel ob spissitudinem humoris excernendi, vel ob aliud quoddam impedimentum, fuerit præclusus, aliter fieri non potest, quin sanguis hic ad alia & plerumque vicina vasa regurgitet, ea dilatet atque variis congestionis signis se prodat.

## §. 17.

Hac retardata sanguinis per uterum excretionem quum plethora in ægrotia nostra virgine aucta fuerit mirum in modum, sanguis necessario ad vicina uteri vasa uberioris se conferre debuit, in illis accumulari & molesta symptomata, Hist. morbi membr. II. recensita, generare, quæ paucis nunc explicanda veniunt. Ex illis primo prode-

prodeant dolores prementes & tensivi in abdomen, præcipue circa lumbos. Dolorum ideam in genere supra (§. 9.) suppeditavi, ubi perspicuum est, causam doloris esse pressionem vel tensionem nervorum & partium nervosarum. Ex his facile intelligitur, qua factum fuerit ratione, ut vasa distenta & à tono suo dejecta dolorem prementem & tensivum produxerint. Quum enim vasa imi ventris, præsertim uteri, abundanter sanguine fuerint repleta, uti præcedente §pho 16. est demonstratum, nervi adjacentes hanc ipsam ob caussam debuerunt premi, & hæratione progigni dolor premens. At, quoniam, prout ex principiis physico - pathologicis constat, nervus simul in reliquis suis punctis tenditur, quando comprimitur in certo quodam loco, necessario quoque iis in punctis, quibus accessit compressio, tensio & exinde dolor tensivus debuit exoriri.

## §. 18.

Ex eadem etiam ratione facile molestia a flatibus, quæ ægram nostram valde exercuit, deduci potest. Ex principiis physiologicis enim constat, flatus esse aerem, in stomachum & intestina mediante victu illatum, & ope caloris in majus spatium expansum. Moventur flatus per totam intestinorum canalem sine incommodo, si motus peristalticus naturalis est, & æqualis, ac justo ordine atque debito robore à superioribus ad inferiora procedit. Ope hujus motus flatus hi ex uno intestino in alterum & ultimo ad orificium intestini recti protruduntur, ubi, laxato ani sphinctere, mox cum, mox sine excrementis, excluduntur. Quod si vero motus hic peristalticus per vertatur,

vertitur, & ob spasmodicas coarctationes in intestinis ab inferioribus ad superiora tendit, flatibus via ad inferius orificium præcluditur. Hi incarcerati flatus, qui calore naturali augentur, ut ad superiora & tenuia intestina, imo ventriculum ipsum, remeant, partes continentes expandant & summam molestiam creent necesse est: Quæ quo luculentius pateant, hic maximè notandum erit, spasmodicas intestinorum contractiones ibi præprimis observari, & esse graviores, ubi plures & fortiores fibræ nerveæ & musculares reperiuntur, uti sunt fibræ musculares orbiculares & longitudinales, quæ intestini ilei, cœci & coli sphincterem quasi constituunt, \* 2.) ubi sunt flexuræ & ligamenta intestini coli, 3.) & circa orificium intestini recti. Quoniam vero in casu nostro sanguis ad intestinorum vasa fuit cumulatius adductus, & ex expansione spasmodica contracção necessario in intestinis evenire debuit; hinc motus constrictioñis & dilatationis intestinorum seu peristalticus ab inferioribus magis ad superiora inverso ordine translatus fuit; adeoque flatus crassiora intestina non facile ingredi, multò minus ea permeare & ad orificium ani, ubi exitum suum naturalem habent, descendere potuerunt. Quapropter aliter fieri non potuit, quin in omnibus, præcipue autem in tenuibus, intestinis fuerint accumulati, magis expansi & sic molestia dicta procreata.

### §. 19.

Superflui sanguinis ad intestinorum vasa congestiōnem, præter flatulentias, etiam alvi tarditatem generasse, sequentia docent. Ad excrementorum excretionem, præter

\* Vid. Garengeot. Anatom. visc. cap. 9. §. 26.

præter bilis sufficientem quantitatem, & liquoris intestinalis, præsertim illius, qui in glandulis processus intestini cœci vermiciformis largius secernitur, etiam requiritur, 1.) ut intestina tenuia vi sufficienti sint prædita, excrementa protrudendi in intestina crassiora, 2.) ut actio intestinorum omnium, præprimis crassorum, cuius ope excrementa ex uno in alterum intestinum propulsa, laxato sphinctere intestini recti, rejiciuntur, sit æqualis (per princ. physiologica): Utrumque verò maximè desideratum fuit in virgine nostra ægota. Spasmodicè enim constricta fuerunt intestina crassa, adeoque vis eorum superata fuit à vi intestinorum tenuium. Hinc sordes alvi-næ, ob spasmum fibrarum nerveo-muscularium, orbicularium intestini ilei, cœci & coli, ab intestinis tenuibus ad crassa non potuerunt promoveri. Quapropter, quum earum iter in intestinis, præcipue iis in locis, ubi fibræ a-deo sunt collocatæ, ut sphincter quasi formatus videatur, difficile fuerit ( §. 18. ), immo difficillimum in intestino colo ob flexuras & ligamenta illius, neque humidum intestinale ob hunc intestinorum spasmum legitime secerri, neque sphincter orificii intestini recti promptè relaxari potuit. Unde liquido, uti arbitror, constabit, sanguinis congestionem in vasis intestinorum crassorum spasmodicam eorum constrictionem & hanc excipientem alvi tarditatem procreasse.

## §. 20.

Cephalalgia etiam, quam sub hoc affectu passa est ægota virgo, abundantι sanguinis copiæ, ad vasa capitis congesti, suos debet natales. Evidem, quum ex

D patho-

pathologicis constet, ea vasa plurimum dilatari, quæ aliis debiliora sunt, & minus elastica, ratio patet, cur sanguis non solum in vasis imi ventris primo, deinde etiam in vasis capitis, tenuioribus instructis tunicis, collectus fuerit, atque accumulatus. Perspicuum porro est, qua ratione fiat, ut vasa hæc capitis dilatata & expansa partes membranosa sensibiles, vel infra, vel supra cranium, comprimere, tendere & dolorem (§. 9-17.) producere valeant. Hanc etiam sanguinis congestionem ad caput & repletionem vasorum præcipue supra cranium, ubi sanguini, ex arteriis carotidibus in minores ramos effluxuro, obex positus fuit, confirmat arteriarum temporalium vehemens pulsatio.

## §. 21.

Neque hæc sola fuerunt incommoda, quæ in capitis vasis congestus crux creavit, sed tinnitus aurium ex eodem etiam fonte venit derivandus. Intelligimus vero ejusmodi auditus statim, quo quis chordæ exilis & valde tensæ sonum audit, licet extra eum in aere nullus edatur sonus. Phænomenon hocce, si quid judico, ita procedit: Percipit homo sonum, si fibrillæ nerveæ in partibus auris internæ, nempe cochlea & tribus canalibus semi circularibus, super membranam ibi obviam tensæ, motu concutiantur (per princ. physiolog.). Quoniام autem hæ fibrillæ cunctæ sint subtiles valde & tenues, ut anatomia nos docet, licet altera supereret alteram exilitate, necesse est, ut una alterave fortius tensa & fortius tacta, instar chordæ instrumenti musici, tremule & acute sonet. Vasa vero sanguinaria abundantanter repleta, nervis & parti- bus

bus nervosis vicina, producunt auctam tensionem illarum (§. 17.). Certo certius autem est, membranam illam, quæ cochleam & canales semicirculares investit, vasis sanguiferis esse instructam, imo inter fibrillas nervi acustici eadem reperiri. \* Quæ si tunc temporis, quô reliqua capitis vasa crurore abundant, sanguine maxime fuerint repleta & ex hac uberiori illius copia systole atque diastole fuerit aucta, fibrillæ nervi acustici necessario fortiter concuti ac tendi debuerunt. Quæ concussio seu fortior commotio cum vi aeris, labyrintho inclusi, sonum tinnitus excitaverit, quid impedit, quominus congesionibus sanguinis ad caput aurium tinnitus tribuamus?

## §. 22.

Eadem quoque ratio fuit vertiginis, quam ægrotam interdum passam esse, morbi historia docet. Proxima hujus pathematis causa est nervorum opticorum compressio, nec non earum partium nervosarum cerebri, quæ sunt prope plexum choroideum. Quod si vero arteriæ carotides, quæ nervis illis proximæ sunt, itemque plexus choroideus sanguine abundant, compressio inde exortur. Vasa vero capitis virginis ægrotæ sanguine nimium repleta fuerunt, idcirco interdum, præsertim capite proclinato, & illa ultra modum à sanguine reserta fuerunt, ac nervos nervosasque partes illas compresserunt.

## §. 23.

Excedens quoque sanguinis copia in vasis collecta & accumulata ex eo etiam adstruitur, quod dolores D 2 capitis,

\* Winslow Exposition anatomique Tom. IV, §. 408.

capitis, aurium tinnitus & vertigo cum abdominalis doloribus alternaverint. Quoties enim spasmo constrictæ fuerunt partes imi ventris (§. §. 17.18.), non omnem humorum molem, vasis suis convenientem, in se recipere potuerunt, sanguis hinc ad ea vasa se uberiorius conferre coactus fuit, quæ minus resistunt, qualia in capite reperi ri omnibus notum est (§. 20.). Remittente autem con strictione in inferioribus, idem sanguineus latex eo magis advectus est ad hæc abdominalia vasa atque ibi dilatatione vasorum abdominalis dolores procreavit. Hæc uberior repletio quam spasmus inferat, & humores ad ea loca pellat, quæ minus resistere possunt, insignem illam harmoniam & nexus inter dolores capitatis &c. &c. & abdominalis perspicere erit facillimum.

## §. 24.

Præter memorata symptomata, ex sanguinis con gesione, alia adhuc & quidem graviora, quæ Membro III. & VI. Hist. morbi referuntur, inflammatio nimirum palpebrarum, atque inde resultans inflammatio tunicæ ad natæ & corneæ exuleeratio fuerunt generata. Prodeat ex illis primum inflammatio palpebrarum. Inflammatio nis nomine in scholis medicis venit præternaturalis attritus rubri sanguinis, à stasi ejus in ultimis divisionibus arteriarum ortus, rubidine, dolore, & tumore partis ac censæ plerumque stipatus. \*

## §. 25.

Allata definitio inflammationis signa præcipua & essentia-

---

\* Vid. Boerhav. aphorism. de cognos. & curand. morbis §. 371. Hoffm. Diff. de inflammatione ossium.

essentialia docet, quæ quo clarius pateant, notes velim,  
quod in omni inflammatione 1.) ægrotus de tensionibus  
partis affectæ queratur, 2.) nec non de præternaturali  
rubore 3.) porro de tumore ardente & pulsante, qui ma-  
gis vel minus micans videtur.

## §. 26.

Hæc qui cum iis contulerit, quæ membro III. & VI.  
Hist. morbi consignata sunt, minime dubitabit, affectum  
hunc oculi, nimirum palpebrarum & tunicæ conjuncti-  
væ, ad tumores inflammatorios esse referendum. Nihil  
addere de ea re opus erit, nisi ut genesin hujus affe-  
ctionis ulterius explicem. Quum omnis inflammatio  
stasin cruoris, tam in ultimis arteriarum ramis, quam  
ex iis provenientibus vasis exilissimis ferosis & lymphati-  
cis, quorum cavitas globulo sanguinis capiendo haud  
sufficit, pro causa agnoscat. Omne illud, quod stagnare  
cruorem in hisce vasis facit, producendæ inflammationi  
favere, perspicuum. Quid vero magis stagnationem san-  
guinis producit, eamque incipientem promovet, quam  
plethora? Prona hinc fluit consequentia, nihil aptius esse  
gignendis inflammationibus, ipsa plethora. Id quod e-  
tiam ex eo clarius perspicitur, quod sanguis, ob nimiam  
vasorum repletionem in exilissima vasa propulsus, vel im-  
pedito, vel tardiori reddito ejus refluxu, in alia vasa vici-  
na, præsertim serosa, vi intrudatur, vasa impletat, dilatet,  
obstruat & lentissimè in illis moveatur. Etsi vero virgo  
nostra ægropa, ob exuperantem sanguinis copiam, ad fo-  
vendos tumores inflammatorios fuit maxime disposita,  
tantum tamen abest, ut hæc sola causa inflammationem

D 3 excita-

excitaverit, ut potius alia occasionalis causa symbolum suum contulerit, & molestissimum hunc oculi affectum provocaverit. Motus nimirum forsan excedens à cœna in conclavi nimis calefacto tantæ fuit energiæ, ut dispositio nem hanc ad inflammationes in actum deduxerit. Noto notius est, quam noxii effectus ex motu & calore in corporibus plethoricis resulant. Sangvinis enim massa exinde exagitatur, & majus affectans spatum, vasā minora satis repleta magis extendit, & ad disruptionem sèpius dedit. Intellectu quoque facillimum erit, ex majori sangvinis expansione, ope motus spontanei vehementioris, corporis plethorici sanguinem suisse adeo rarefactum, ut purpureum hoc liquidum in minora vasa serosa, & minimas arteriarum divisiones vi fuerit intrusum, ibique stagnaverit & inflammatio inde fuerit orta. Quod autem utraque palpebra, & tunica adnata inflammata fuerit præ aliis omnibus corporis partibus, id rationis subesse arbitrор. Nimirum sub congestionibus sanguinis ad caput plurima ejus vasa justò majori sanguinis quantitate repleta fuerunt, quam diameter eorum naturalis pati potuit, hinc nec oculi vasa ab ista repletione & expansione, accedente humorum exæstuatione, inmunia fuerunt. A vero mihi quoque non aberrare videor, si aspectum flammæ lucernarum ad generandum hunc affectum multum contulisse sustineam. Duce enim experientia cognitum est, non solum solis crebriorem adspectum, sed etiam flammam ignis vulgaris fibrillas nerveas oculi vehementer constringere, hancque constrictionem vasa adjacentia angustare, & stagnationis sanguinis ac inde nascentis inflammationis existere caussam. Quid enim frequentius est

est videre, quam homines, qui diu aspectum flammæ lucidæ sustinuerunt, oculorum inflammatione mulctari. Tensiones etiam & vellicationes palpebrarum, quæ tumorem inflammatorum præcesserunt, prægressam hanc constrictionem fibrarum nervearum in palpebris & tunica conjunctiva satis probant.

## §. 27.

Palpebrarum hæc inflammatio, & earum insignis intumescentia conjunctivæ tunicæ inflammationem promovit, & valdoperè auxit. Tumore enim palpebrarum compressa fuit tunica hæc conjunctiva, hinc angustari vasa, & humores in iis necessario stagnare debuerunt. Porro, quum palpebrarum interior tunica productio sit tunicæ albugineæ, adeoque utraque tunica communibus vasis instructa, fieri aliter non potuit, quin inflammatorius palpebrarum tumor ad conjunctivam tunicam etiam pergeret. Accedit etiam, quod lympha lacrymalis, ob spasmum fibrarum nervearum tunicæ adnatæ & palpebrarum, in puncta lacrymalia, & canalem sic dictum nasalem influere fuerit impedita, adeoque, intra oculi bulbum & palpebras accumulata, acrimoniam contraxerit, dictas partes arrodentem, & inde inflammatio hæc mirum in modum fuerit aucta.

## §. 28.

Id etiam causæ fuit, cur, referatis palpebris, serum quoddam acre ex oculis effluxerit, uti Hist. morbi Membro V. & VIII. recensetur. Quum enim effluxus ejus in canalem nasalem, ob constrictionem spasmodicam punctorum

Etorum lacrymalium, fuerit impeditus, & ob palpebras clausas inter eas, bulbumque oculi lympha hæc fuerit accumulata (§. 27.) ex oculorum angulis necessario excerni & super genas effundi debuit. Quod autem fluxus hic tamdiu continuaverit, id rationis fuisse existimo: Serum hoc lacrymale, stagnatione acrius redditum, orificia & puncta lacrymalia irritatione adeo movit, ut major humorum ad glandulas lacrymales successerit affluxus, & major lacrymarum copia inde fuerit secreta. Hæc abundantia lymphæ lacrymalis, quum non omnis intra canalem nasalē recipi potuerit, eodem modo, quō fieri in flentibus observatur, ex oculis supra genas ut efflueret, ipsasque ob acrimoniam corroderet necesse fuit. Arrosio vero in labio superiori similiter ab hac acri lympha effecta est, quæ nempe per canalem nasalē in cavitatem nasi & exinde super dictum labium effluxit.

## §. 29.

Ex eadem hac lymphæ lacrymalis stagnatione & acrimonia corneæ tunicæ exulceratio derivanda venit. Ulcus in genere vocatur solutio continui in partibus corporis solidis, ubi partes disruptæ humidum quoddam acre seu saniem emitunt. Nulla certe eget probatione, lympham stagnantem sensim acrem redditam partes corporis arrodere, & hac ratione plurima fere ulcera in diversis gigni partibus. Quid mirum itaque si lacrymæ, ob salam suam indolem (per princ. physiolog.) ad acrimoniam proclives, stagnatione acres redditæ, corneam tunicam primum irritando, postea fibras ipsius dissolven-

dissolvendo, exulcerationem hanc produxerunt. Quod autem exulceratio hæc humidum non ploraverit, sed siccæ potius indolis, & lanugini similis fuerit, de eo sic ego judico. Constat, 1.) corneam transparentem carere vasis sanguiferis, & paucissimis saltem lymphaticis atque serosis esse instruetam; \* quare fibræ ejus albidae sunt, 2.) tunicam hanc esse summè elasticam, & fibras maximè tensas: Quæ etiam rationem in se continent, cur fibræ hæ discissæ & divisæ sursum tollantur, & sic lanuginosum quoddam constituant. Hanc meam sententiam simplex quoddam experimentum corroborat: Si quis enim hanc tunicam corneam mortui hominis sale vel arena fricare voluerit, veritati hæc omnia consentanea esse animadvertis.

## §. 30.

Perducti tandem sumus ad ultimum pathema ægrotæ virginis, quod in Historia morbi Membro VIII. relatum legitur. Est illud cachecticus status, cuius rationem & nexum cum reliquis symptomatibus jam probare nobis incumbit. Cachexiam autem in genere definio, quod sit depravatus & subturnidus corporis habitus, cum foedo cutis colore conjunctus, ex vitiosi sanguinis, præsertim vero seri abundantia, viscerumque tono dejecto ortus, singulasque corporis functiones insigniter lœdens. \*\* Ex data hac definitione patet, ad essentiam hujus affectus pertinere 1.) colorem pallidum cutis, præprimis faciei,

E

2.) pal-

\* Vid. Joh. Zach. Platneri Institutiones chirurg. §. 309.

Jacob. Hov. Tract. de circulati humorum motu in oculis.

\*\* Hoffm. Med. system. Tom. IV. part. IV. pag. 385.

2.) palpebrarum intumescentiam, 3.) habitum corporis tumidum & flaccidum, 4.) artuum gravitatem, præsertim sub motu. Porro gravissimus hic affectus cognoscitur 5.) ex respiratione diffcili 6.) palpitatione cordis, 7.) irregulari alvina excretione, dum modo constipatio alvi, modo diarrhoea adesse deprehenditur, 8.) pulsu debili & tardo, 9.) urina alba, turbida & parca, 10.) æstu volatino, capitis dolorem, vertiginem & sudorem secum ferens. Denique, si malum jam ad summum gradum vergat, pedes atque manus insigniter tumere, præcipuè vesperino tempore, conspicuntur.

## §. 31

Prædicta cachexiæ requisita apprime ad ægrotæ nostræ passiones, in Hist. morbi Membro VIII. memoratas, quadrare, ex accuratori eorum perscrutatione cognoscimus. Plurima enim cachexiæ signa in historia morbi reconsentur, quæ inferiorem seu primum cachexiæ gradum constituant. Quæ etiam ratio fuit, cur hunc morbum non ipsam cachexiam, sed affectum cachecticum denominandum duxerim. Posito itaque nomine hujus gravissimi mali, nexus ejus cum reliquis symptomatibus, & origo ex eadem fœcunda matre, quæ reliqua genuit incommoda, plethora nempe, venit demonstranda. Causa hujus affectus proxima est sanguinis impuri & humorum viscidorum abundantia, nec non solidorum robur dejecatum, eorum præcipuè viscerum, quæ chylificationi, & sanguini perficiendo atque depurando interficiunt. Quoniam vero visciditas humorum tono dejecto solidorum, & præcipuè robori imminuto primarum viarum adscribenda

benda venit, primo explicandum erit, quomodo tonus labefactatus horum viscerum abundantia sanguini generando faveat. Evidet supra est (§. 17.), sanguinem abundantem, ad ventriculum & intestina congettum, tonum horum viscerum multum imminuisse, & flatum alisque tarditatis extitisse caussam (§. 18. 19.). Quod si itaque memorata viscera quotidie de suo tono & robore aliquid amiserunt, fieri aliter non potuit, quin, aucta hac ventriculi & intestinalis atonia, alimenta non legitime resolvi, comminui, nec chylus laudabilis elaborari potuerit. Chylum itaque viscidum, tenacem eadem etiam labe sanguinem contaminare, ex pathologicis compertum habemus. Accedit etiam, quod sanguis, quando in vasis abundat, ad majora vasa & praecipue viscera regurgitet, ibi stagnet, corrumpatur, tonum solidorum labefactet, functiones viscerum laedat, & symptomata cachectica lignat. Lentior enim fit ob partium solidarum atoniā sanguinis & humorum circuitus, unde chylus crudus, tenax, viscidus, propter imminutum viscerum robur concoctioni inferuentium, ad sanguineam massam allatus, neque legitime comminui, atque discerpi, neque sanguini etiam intime misceri potest. Quo fit, ut saluberrimum se- et - excretionum negotium imminuatur, & fordes impuræ viscidæ, biliosæ, alias excerni solitæ, intra massam sanguineam retineantur, eamque impuris & vitiosis humoribus inquinent.

## §. 32.

Vitiata itaque omnium humorum indole, ut subtilissimum etiam, quod nervis inest fluidum, labem contraxerit, fuit necesse. Hinc vis ejus & energia, cuius ope

E 2

solida

solida maxime reguntur, omnesque functiones legitimè procedunt, fuit insigniter imminuta. Mirum itaque non est, quod ægrota virgo languorem loco lasitudinis, seu maximum ejus gradum, sub & post minimum corporis motum, senserit. Omnium enim solidorum robur partim ex abundantia superflui humoris (§. 9.), vasa nimirum distendentis, partim ex depravato subtilissimo illo nervorum fluido, quod nervis, omnibusque solidis elasticam vim conciliat, valde fuit imminutum atque labefactatum.

## §. 33.

Reliqua symptomata, quæ affectus cacheoticus in nostra virgine præsentiam comprobarunt, jam veniunt enucleanda. Primo ex illis prodeat palpitatio cordis, quæ in crescente morbo maximum quoque summis incrememtum, adeo, ut non post motum duntaxat, uti sub primo morbi stadio (Hist. morbi Membr. II.), sed etiam post pastum, ventriculo vel cibis vel flatibus expanso, fuerit deprehensa. Expanso ventriculo, vel intestinorum canale ab alimentis aut flatibus, vel ex quacunque causa alia, eorum vasa aliquo modo comprimuntur, hinc sit, ut sanguini, ē ventriculo sinistro in aortam descendenter promovendo, remora quædam objiciatur, & idem crux, in venæ cavæ canale contentus, celerius ad dextrum ventriculum pellatur. Accedit etiam, quod ob hunc ventriculi & intestinorum spasmus vasa eorum sanguinem, per majores ramos advectum, commodè vix recipere queant (§. 17.). Nec ab hac palpitatione immunem fuisse virginem leviter ambularem, nec sedentem, decubentem vera



vero eam sensisse graviorem, relatum legimus. Ratio in promptu est: Sub decubitu venæ cavae situs ex perpendiculari in horizontalem mutatur, & affluxus croris ad cordis ventriculum inde velocius promovetur; Nec caloris effectus, dum virgo in lectum sese contulit, penitus excludendus venit, quo sit, ut sanguinis massa majus spatiū affectet, & cordis substantiam ad fortiorē & celeiorem systolen atque diastolen disponat (§. 27.).

## §. 34.

Deinde legimus in Historia morbi Membr. VIII., spirationem, quæ in principio morbi sub motu & acciūm ascensu fuit velocior, & molesta, (Membr. I. Hist. morbi) progesu temporis redditam fuisse angustiorem. Causam turbatæ respirationis supra (§. 1.) plethoræ omni jure accensendam esse, innui. Quod vero symptoma hoc, crescente malo, etiam fuerit auctum, non solum superflus sangvinis copia, quæ quotidie aucta fuit, sed tenaci etiam, viscido & spissō sangvini, qui minima pulmonum vascula difficillime transit, tribuendum esse judico. Cognitum enim & comprobatum ex physiologicis est, sanguinem sub quavis respiratione in pulmones ex cordis ventriculo dextro deduci, in exilissimis vasculis ibi circumvolvi, mutua pulmonum constrictione & expansione comprimi, comminui, & conquassari: Quod si vero ob visciditatem subtilissima hæc vascula, vel plane non, vel tamen difficulter, transit, ut ad majora vasa regurgiter, ea distendat, vesiculas pulmonales angustet, aeriique, in pulmones ingredienti, remoram quandam faciat, necesse est. Huic etiam impedito & turbato sanguinis

E 3

motui

motui in pulmonum vasculis imputandum esse reor, quod sanguis neque satis comminui, ac conquaßari, neque chylo intimè misceri potuerit, sed viscidam suam in-dolem retinuerit. Eadem causa quoque subest, ut cachecticum malum quotidie sumserit incrementa, nec prius, quam remota omnium molestissimorum symptomatum primaria cauſa, penitus cessaverit.

## §. 35.

Cognito itaque atque perspecto cachectico corporis statu ægrotæ nostræ, minime mirandum est, quod vividus, & amoenus faciei color in pallidum & subflavum seu luridum fuerit transmutatus. Est enim illud primum & essentiale cachexiæ signum (§. 31. 32.), quô perspecto, quisque fere, etiam artis medendi imperitus, cachecticum corporis habitum præsumit. Nec difficile erit, phænomeni hujus rationem reddere. Supra enim (§. 8.), physiologicis principiis innixus, tradidi, cutis colorem tam fluidorum, quam solidorum, & præprimis corporis mucosí, indoli, & vasorum majori, vel minori repletioni exactè convenire (§. 8.). Jam autem cognitum est, ob tonum primarum viarum lœsum (§. 31.), ob respirationis negotium turbatum (§. 34.), ob se & excretiones interceptas, sanguinem generatum fuisse crudum, nec unquam à sordibus biliosis, falsis, aliisque excrementiis satis fuisse purgatum. Quare cum impuritates hæ largiori copia massæ humorum immixtæ fuerint, quam per cutis emunctoria, ob relaxatum corporis & præcipue cutis habitum, legitimè rejici atque excerni potuerunt, abunde patet, quomodo in subtilissimis vasculis

culis stagnantes, cuti luridum hunc colorem concilia-  
verint.

## §. 36.

Tono & robore suo solida omnia dejecta fuisse, passim in præcedentibus §§phis adstruere conatus sum. Hinc etiam cor, quod alternante sua constrictione & relaxatione omnem humorum massam per universum corpus propellit, multum de robore suo amisisse, certum est. Testatum enim id dedit pulsus tardus & debilis. Quum enim pulsus, uti ex physiologicis notum est, cordis & arteriarum statum apprimè doceat, nemini sane dubium supererit, hanc pulsus mutationem debiliori cordis systoli in acceptis esse ferendam. Neque aliter fieri potuit, quum subtilissimum illud æthereum fluidum, quod nervis inest, & quod omne robur præstat, sub pessimâ humorum constitutione labem etiam contraxerit (§. 33.). Cujus influxui quum cordis systole tribuenda veniat (§. 10.), adparet ratio, cur sub cachectico hoc humorum statu ipsius tenuissimi fluidi vigor fuerit dejectus, & cur cordis contractio antea celerior in tardiorem, & pulsus magnus in tardum & debilem, sub motu vero in celerem & debilem, fuerit conversus.

## §. 37.

Porro in Historiis morbi recensetur, somnum placidum, quo gavisâ fuit ægropa, in inquietum se mutasse. Cujus phœnomeni rationem existimo sequentem: Constat ex physiologicis, somnum esse placidum atque tranquillum, quando sanguis lento, æquali & temperato motu per subtilissima vascula cerebri trajicitur, inquietum vero

verò eundem fieri, quando sanguinis motus ad cerebrum acceleratur, & in ejus vasis inæquali cursu circumvehitur. Evictum autem supra est, sanguinis massam ob redundantiam ejus (§. 10.), ob flatus in abdomen (§. 18.), & ob decubitum virginis, velocius ad cor fuisse trajectam. Sangvis itaque, velociter ad cor motus, ut celeriori quoque cursu ad cerebri vasa ducatur, celerimè in illis moveatur, & ita somnum turbet, & inquietum reddat, necesse est. Visciditas etiam humorum ægrotæ nostræ ex causarum censu minimè releganda est. Inde enim evenit, ut sangvis, exilissima vascula transiens, & ad majora vasa retroactus, ad cursum per capitis vasa alterandum & somnum turbandum multum contulerit.

## §. 38.

Colophonem denique addat turbatum alvi negotium, dum de diarrhoea, mox verò de alvo constipata conquesta fuit ægrotans. Utrumque autem affectum intime inter se fuisse connexum, alterumque ex altero generatum, partim spasmum, partim atoniam intestinorum, sua pro causa agnoscere, ita probo. Ad legitimum fecum alvinarum fecessum præcipue requiritur, ut primo in intestinis tenuibus sufficiens ad pellenda excrementa vis, & deinde in inferiori ejus parte, præsertim intestino colo, & recto, sufficiens dilatatio, emittendis fecibus remoram nullam ponens, adsit. Quum itaque supra evictum dederim, in ægrotæ nostra ex sanguinis ad primas vias congestionibus totum intestinorum canalem fuisse labefactatum (§. 18.) &, quod flatum in illis hospitantium copia testatur, partim spasmum intestinorum crassorum

crassorum, partim atoniā intestinorum tenuium adfuisse (§. 18.) nullum dubium est, quin molesta hæc alvi segnities partim atoniæ intestinorum tenuium, partim spasmus crassorum adscribenda sit. Hæc alvi tarditas causa etiam fuit diarrhoeæ, illam excipientis, & mutuò cum ea alternantis. Factum enim est, ut sub tardiori excretionem per alvum secessu, atque depravata alimentorum digestione (§. 31.) cruditates generatae fuerint, quæ bile, succoque pancreatico remixtæ, & in duodeno ob deficiētem excretionem diutius stabulantes, acrimoniam contraxerunt, intestina, eorumque glandulas irritantem (per princ. patholog.). Quum autem diarrhoea nimiam intestinalis liquoris secretionem causam agnoscat præcipuam (per princ. path.), nihil quoque reperitur, quod eandem largiorem æque, atque celeriorem efficere possit, quam talis materia, quæ acribus suis partibus glandularum orificio constanter irritat, atque ad copiosiorem lymphæ suæ expressionem disponit. De qua re nemo certe dubitat, qui, quantum ejusmodi acris materia irritatione sua efficiat, ex pathologicis cognovit. Hæc etiam uberior humidi intestinalis secretio alvi segnitem, quæ diarrhoeam est secuta, multum adjuvit. Notum enim ex physiologicis est, ad excretionem alvi facilitandam lympham hanc intestinalē requiri, ut lubrica serventur intestina, fibræque eorum facilius se contrahere valeant. Deficiente itaque hac lympha intestinali, interiorem intestinorum superficiem exsiccatam, & excrementis, per intestinorum volumen progressuris, ob memoratas causas, remoram fuisse positam, unicuique facile constabit.

## §. 39.

Sed hisce relictis, nunc totius morbi maxime molesti, haec tenus cum omnibus circumstantiis & causis fusus expositi, ideam in compendio tradam. Aegrota nimis virgo, ob victum eupeptum, ac vitam motus & curarum expertem, abundantem sanguinis copiam generavit (§. 1-12.), & cum ea minime imminuta, sed quotidie potius aucta fuerit, sanguis ad loca imi ventris & caput congestus, ibique dolorum, tensionum, in intestinis atoniz, flatuum & depravatæ digestionis, nec non palpitationis cordis, respirationis molestæ &c. &c. auctor fuit (§. 13-23.). Congestionibus sanguinis ad caput successit inflammatio palpebrarum, & tunice adnatæ (§. 26-27.), nec non exulceratio tunice cornea (§. 29.), quibus malis parum imminutis, ob stagnantem lympham lacrymalem, serum acre ex oculis effluxit (§. 28.). Congestiones denique ejusdem sanguinis in abdominis vasis digestionem depravatam, tandemque cachecticum affectum produxerunt (§. 31-32.), auctis insimul ceteris symptomatis.

## §. 40.

Supereft tandem, ut remediorum, in Historia morbi Membro IX. commendatorum, examen instituam, in quo eo minus ero prolixus, quod facilias singulorum ratio ex generalioribus therapiæ principiis cognosci potest. Quemadmodum vero ex antecedentibus latet clare innotuit, ex abundante sanguinis copia, ejusque variis congestionibus, cachecticum corporis universi affectum & inflammatiorum oculorum esse inductum, ita ad tollendum

dam hanc inflammationem, & corrigendam pravam humorum indolem, restituendumque solidorum tonum omnis dirigenda fuit medicatio. Quo hunc igitur finem eò certius obtinerem, sub usu remediorum 1.) ad primas vias à collecta sentina purgandas, 2.) humores, tum viscidos atque tenaces corrigendos & per convenientia emundatoria proscribendos, tum abundantes quoque sensim hac ratione minuendos, 3.) inæquales sanguinis & humorum circuitus ad ordinem denuò redigendos, & adfluxum humorum à partibus superioribus ad inferiora derivandum, nec minus 4.) ad ventriculi, intestinorum & omnium solidorum robur deperditum restituendum, & 5.) inflammationem tunicæ adnatæ atque exulcerationem corneæ profligandam, præcipue respiciendum esse iudicavi.

## §. 41.

Primo igitur scopo satisfecit laxans, Hist. morbi Membro II. Num. I. citatum, quod primariò compositum fuit ex manna & extracto rhabarbari. Manna enim non solum sordes intestinalium suffcienter abstergit, sed partes etiam mulcet & acrimoniam, quæ est in canale intestinalium, corrigit. Hujus vero connubium cum extracto rhabarbari commendatum est, ut intestina relaxata & fistibus distenta corroborarentur, statusque discuterentur; & ob postremam causam superadditum quoque est oleum de cedro. Quoniam autem sub tali cacheoticō corporis statu massa humorum impuris succis redundat (§. 31.), & primæ viæ, ob turbatum digestionis negotium, quotidie crudos & noxios humores generare solent, laxantibus

F 2

opus

opus fuit, iisque lenioribus, & per epicrasin operantibus, quæ balsamica sua indole humores corrigunt, impuritates massæ sanguineæ & canalis intestinalis per eandem viam educunt, & stomachum denique roborant. Quo nomine pilulæ balsamicæ B. FRIDERICI HOFFMAN-NI, ex extractis amaris &c. concinnatæ, insigniter commendari merentur. Quare iisdem etiam quovis sexto die cum maxima euphoria usus sum. Quarum continuato usui in felicissima hac morbi propulsione maximum momentum adscrihendum esse judico. Notum enim ex therapevticis principiis est, vim pilularum ejusmodi balsamicarum magnam esse in corrigendis humoribus & dirigendo humorum motu à superioribus ad inferiora; quare promovendo salutari mensium fluxui insigni fuisse adiumento, non sine ratione arbitror.

## §. 42.

Tum quoque, ad acrimoniam humorum, eorumque visciditatem corrigendam, & spasmodicas solidorum contractiones, tam in intestinalium canale, quam in reliquis visceribus, relaxandas, infusum theiforme, cum sero lactis dulci mixtum, fuit commendatum. Species hujus infusi excretiones omnes, præprimis vero urinæ & sudoris, promovendi, nec non flatus in abdomine discutiendi, insigni pollent efficacia. Serum lactis autem ad acres partes involvendas & educendas, & spasmio constrictas membranas demulcendas, teste experientia, sumum & maxime egregium est remedium.

## §. 43.

Quemadmodum autem omne curationis punctum

cd

èò maximè redit, ut ventriculi labefactati & turbati digestio-  
nis negotii ratio habeatur, præcipue pariter allaboren-  
dum fuit, ut primarum viarum tonus & energia resti-  
tueretur, & emendata digestio officina, sanguis melio-  
ris notæ in canalibus suis per circulum ageretur. Hunc  
in finem ideo elixirium viscerale B. HOFFMANNI, nec  
non pulvis quidam, & decoctum quoddam ex specie-  
bus, gelatinoso principio præditis, fuerè commendata.  
Quantæ autem virtutis sit elixirium viscerale Hoffm. in  
morbis chronicis debellandis, dum non solum primis  
viis robur addit, sed & bilem corrigit, viscidos humores  
resolvit, & sanguinis circuitum æqualem reddit, medicina  
consultatoria laudati auctoris fusius docet, & ii quoque  
probè norunt, qui secundum methodum Hoffmannia-  
nam maxime morbos ejusmodi intricatos simplici in-  
primis medicina profligare student. Eadem etiam præ-  
stat pulvis hic, qui cum pulvere stomachico, à QVER-  
CETANO aut potius BIRCKMANNO commendato,  
multum convenit \*, cuius virtus in incidendis humoribus  
crudis, & appetitu excitando jam diu medentibus cognita  
fuit atque perspecta. Eudem præterea pulverem virtu-  
te, orgasmum temperandi & saluberrimum transpiratio-  
nis negotium promovendi, maxime pollere, facile patet:

## §. 44.

Decoctum, quod ex speciebus lenientibus, leniter  
diureticis & quodammodo gelatinosis præparatum est,  
ideò præcipue commendatum fuit, quia in morbis  
F. 3      chroni-

\* Conf. Pharmacologia theoretico - practica Joh. Frid.  
Cartheuseri pag. 591.

chronicis decocta cerevisiis, aliisque potulentorum generibus longè præstantiora esse, teste B. HOFFMANNO, frequens probavit experientia. Hæc enim decocta non tam facile flatulentias excitant, sed ob majorem subtilitatem vasa citius transeunt, humores diluunt, & auctis se- & excretionibus, sordes multas è massa sanguinis educunt. Vinum autem non solum in stomachi gratiam decocto huic nuptum fuit, sed ut spirituosa etiam indole sua robur adderet solidis, vappidamque fluidorum crassin emendaret.

## §. 45.

Memorata vero remedia, quamvis utilissima fuerint, & in tollendis his morbis maxime adprobata, irritus tamen forsan eorum fuisset effectus, nisi accuratum diætæ regimen felicem eorum operationem insigniter secundasset. Labefactato enim primarum viarum tono, ut cibis paucis & concoctu facilibus uteretur, crudos vero omnesque dyspeptos & flatulentos studiose evitaret, monita fuit ægrota. Ut quoque alimenta eo melius digerentur, & in chylum laudabilem converterentur, motus corporis aliquot horis post pastum fuit commendatus, quo nimirum leni illa succussione chylus jam præparatus ad sanguinis massam eo melius transferri, à sordibus depurari, & alvi excrementa facilius ejici potuerint (per princ. phys. & diæt.).

## §. 46.

Venælectio denique prius in usum vocata non est, quam congettiones à superioribus ad inferiora converxæ, & solidorum robur imminutum aliquomodo fuerit restitu-

restitutum. Tunc enim sanguinis abundantia felicissime tolli & fluxus ejusdem ad uterum dirigi potuit, quo factum etiam est, ut mensium fluxus, transacto aliquo tempore erumpens, plurima symptomata felicissime abstulerit. Pediluvia autem venæctioni eo consilio præmisi, ut sanguis ad interiora prius leniter duceretur, congestus in superioribus ad inferiora se uberioris recipere, & ita vena pedis secta plethoram majori cum fructu immiscueret.

## §. 47.

Remedia, quibus oculorum inflammatio & exultatio soluta fuit, sunt fomentum, sacculi, collyrium, mixtura & pulvis quidam. Quum in omni inflammatione constrictio fibrillarum & stagnatio sanguinis in vasculis minoribus reperiatur (per princ. patholog.), fomentum hoc apprime utile fuit, dum partim fibris crispatis relaxandis, & crux, in vasculis minimis stagnanti, iterum movendo fuit maxime idoneum. Simili etiam ratione stagnationem sanguinis sustulerunt calore suo sacculi calefacti, quos ideo cum fomento alternatim applicari jussi, ne continua fomenti applicatione fibris nimia relaxatio atque flacciditas induceretur.

## §. 48.

Et ut vasa, à sanguine in illis stagnante expansa & nimis relaxata, constringerentur, sanguinique debite propulsando sufficerent collyrium in usum vocatum est, quod hac virtute efficaciter pollere, cognoscent omnes, qui ejusmodi oculorum affectibus mederi sciunt. Hujus


Hujus usu etiam factum est, ut affluxus lymphæ lacrymalis, ex relaxatione glandularum & ductuum lacrymaliū natus, intra fines suos maxime fuerit coercitus.

## §. 49.


Exulcerationi denique corneæ tunicæ remedio fuerunt pulvis quidam & mixtura externi usus. Pulverem constare ex mundificante, leni septico, & absorbente medicamine, & ea propter corneæ ulcera mundificare, disruptas fibras à sanis separare, acrimoniam lymphæ lacrymalis mitigare, eaque ratione corneæ pelluciditatem restituere potuisse, omnes machaoniæ artis cultores facile videbunt. Mixtura vero, ex aqua & spiritu vini constans, glandularum omnium, præcipue vero sebacearum MEIBOMII, earumque ductuum & orificio-rum lenissima constrictione, oculum à stasi humorum, a sordibus, & ab exulceratione debuit vindicare. Simplici hac medicatione, veris morbi causis e directo opposita, effectum tandem est, ut intra duodecim septimanas gravissimus ægrotæ virginis morbus ad finem optatum perductus fuerit.







W018  
RICA



DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
SISTENS  
CASVM CLINICVM  
AFFECTVS CACHECTICI

CVM

INFLAMMATIONE TV  
EXVLKERATIONE C  
PARENTIS C

EX

PLETH

QVA

GRATIOSAE FACV  
CONSI

PRO GRADV  
OBTIN

PUBLICO ERVDIT  
SVBIE

PETRVS P

FRANCOFVRTI

DIE XX. DECEMBER

TYPIS PHILIPPI SCHWAR

